



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 10. Franciscus Xaverius in Indias prædicatum missus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

§. X.

*Franciscus Xaverius in Indias prædicatum missus.*Sæcul. XVI.
A. C 1541.*Hor. Turfel.
in vit. Franc.**Xav. l. i. c. 11*

Interea in Lusitania Franciscus Xaverius & Simon Rodericus Ignatii Loyolæ Discipuli continuo studio sese paratos tenebant, ut in novo Orbe Christi fidem diffundere, lumenque Evangelii inferre possent; priusquam vero prætoriana navis, quam unacum Martino Alphonso Sosa regiæ classis Præfecto conscenderent, portu solvere possent, ambo in Lusitania animarum saluti invigilabant, tam prospero laboris successu, ut nonnulli aulæ Proceres Regi auctores existerent, quatenus omisso Indiæ juvenandæ consilio Apostolicos hosce Viros in Lusitania retineret. Percepto hoc Primorum consilio ambo protinus datis Romam literis Ignatium Patrem suum efflictim rogabant, ut apud summum Pontificem Indicæ navigationis successum promoveret. Verum Paulus III. totam rem ad Lusitanorum arbitrium rejiciendam censuit; unde Ignatius ambobus Sociis suis rescripsit, significans, quod hæc sibi mens foret, vi cujus hac in re Lusitani Regis voluntati acquiescerent, ceterum vero sibi commodissimum videri ajebat, rem omnem ita dividere, ut Xaverius in Indias pergeret, solus

Sæc. XVI. lus vero Rodericus in Lusitania hære-
 A.C. 1541. ret. Annuit quoque Rex, non sine in-
 genti lætitia Xaverii, qui immodico in-
 fidelibus Evangelium annuntiandi ardo-
 re æstuabat.

§. XI.

*Pontificium Evangelicæ expeditionis
 Diploma Xaverio a Lusitanicæ
 Rege traditum.*

Turfelin l. c. Postquam igitur opportuna Indicæ pro-
c. 12. fectionis dies appropinquaverat,
Maffec hist. Rex Francisco figillatim exposuit, qua
l. 12. ratione in omnibus locis Lusitano Im-
 perio subditis ad dilatandam Christi fi-
 dem auctoritatem suam in Indos exer-
 cere valeret, postea vero eidem quatuor
 porrexit Diplomata, quæ Francisco tra-
 denda summus Pontifex Regi submise-
 rat. Horum uno Apostolicus Legatus
 in novo Orbe constituebatur, altero au-
 tem concedebatur eidem omnis pote-
 stas, quæ ipsi pro fide Catholica per to-
 tum Orientem propaganda ab Ecclesia
 indulgeri potuisset. Tertio Xaverius
 Davidis Æthiopiæ Regis patrocínio
 commendabatur, & quartum commen-
 datitias complectebatur literas ad om-
 nes insularum & continentis Principes
 ac Rectores, qui a Promontorio Bonæ
 Spei usque ad peninsulam ultra Gan-
 ge-